

possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, et potius detexta prope, retexantur.

Acad. prior. II. 29. Fundamentum dialecticae est: quidquid enuntietur (id autem appellant ἀξιωμα, quod est quasi *effatum*), aut verum esse aut falsum.

Fin. III. 10. Quum rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis; hoc quarto, quod extremum posui, boni notio facta est. Quum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit.

Senec. Epist. 58. Nro. 6—20. Sex modis hoc (τὸ ὄν) a Platone dici, amicus noster homo eruditissimus hodierno die dicebat. Omnes tibi exponam, si ante indicavero, esse aliquod genus, esse et speciem. Nunc enim primum illud genus quaerimus, ex quo ceterae species suspensae sunt, a quo nascitur omnis divisio, quo universa comprehensa sunt. Invenietur autem, si coeperimus singula retro legere: sic enim perducemur ad primum. Homo species est, ut Aristoteles ait; equus species est, canis species: ergo commune aliquod quaerendum est his omnibus vinculum, quod illa complectatur, et sub se habeat. Hoc quid est? Animal. Ergo genus esse coepit omnium horum quae modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed sunt quaedam, quae animam habent, nec sunt animalia: placet enim satis et arbustis animam inesse; itaque et vivere illa et mori dicimus. Ergo animantia superiorem tenebunt locum, quia animalia in hac forma sunt, et sata. Quaedam anima carent, ut saxa: itaque aliquid erit animantibus antiquius, scilicet corpus. Hoc sic dividam, ut dicam: corpora omnia aut animata esse, aut inanimantia. Etiam nunc est aliquid superius, quam corpus. Dicimus enim quaedam corporalia esse, quaedam incorporalia. Quid ergo erit, ex quo haec diducantur? Illud, cui nomen modo parum proprium imposuimus, *quod est*. Sic enim in species secabitur,